812 cauſa, non video. Curiam enim ut honeſtius, ita libentius, partem illam ad ortum ſpectantem dixerim, in qua Senatus fere quotidie haberi ſolet. Senatum eum appello, quod illi, *Rogatorum concilium*: in quo ampliſſima quæque Reipublicæ currantur negocia. Ab initio veteres illi Imperii conditores, ut pleraque alia, hoc quoque ex Romana Republica acceperunt, ut eos qui in Senatu ſententiam dicerent, Rogatos ideo nominaverint, quia in conſultatione, ab eo qui Senatum haberet, rogaretur ſententia. Sed hæc alio ſeorſum opere prolixius.

814 *Angelus Particiatius Joannem filium collegam creat, atque huic abdicato ſurrogat Juſtinianum alterum filiũ, & Angelum ex eo nepotem.*

Nunc ad Particiatii geſta redeo: qui quum duos haberet filios, alterum Juſtinianum nominatum, ad Leonem Græciæ Imperatorem miſit: a quo benigne acceptum ferunt, ampliſſimiſque verbis laudatum, ornatumque honoribus non parvis: alterum cui Joannes fuit nomen, ſibi interim collegam inſtituit. Quod ipſum Juſtinianus reverſus, ita indigne tuliſſe dicitur, ut ad conſpectum patris venire pertinaciter recuſarit. Verum ſenex, quum filii deſiderium diutius ferre non poſſet, Joanne abdicato, qui publica adminiſtratione, ne jubente quidem patre, niſi populus coegiſſet, videbatur abiturus, Juſtinianum, & Angelum ex Juſtiniano nepotem, collegas ſibi in Principatu cooptavit: Joannem magiſtratu abire juſſum populus Conſtantinopolim relegavit. Tradunt quidam, eum ultro ad Leonem Imperatorem veniſſe, quum Pergami eſſet: unde reverſus jubente patre, Conſtantinopolim cum conjuge & liberis profectus ſit. Sub id tempus ſacrum Zachariæ corpus cum parte veſtium, tum Chriſti noſtri Regis, tum Divæ quoque Virginis, & cum his Dominicæ crucis lignum a Leone Imperatore Particiatius dono accepit: atque ea omnia in ædem, quam Zachariæ nomine erigendam curaverat, rite condidit. Traduxit præterea, Joanne Abbate annitente, ex fano Divi Servuli Monachos in ædem Hilarii, quæ tum in extrema Rivalti parte fuit: nunc ejus veſtigia intra continentem a peritis locorum monſtrantur. Eadem etiam tempeſtate, Severi & Laurentii fana in inſulis, quæ olim Geminæ dicebantur, Joanne Particiatio au-

819 *D. Zachariæ corpus, cũ aliis ſacris muneribus a Leone Imp. ad Angelum Ducem mittitur.*

821 *Ædes ſacræ DD. Zachariæ, Severo, Laurentio conditæ.*

ctore